



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De Trinitatis vnitate. Z

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

prolem, id est, notitiam suam: & ita amor quidam complexus est parentis & prolis.

*Quod non est minor mente notitia, nec amor utroque.*

*Aug. lib. 9.  
in fine.*

**N**EC minor proles parente, dum tantam se nouit mens, quanta est: nec minor est amor parente & prole, id est, mente & notitia, dum tantum se diligit mens, quantum se nouit & quanta est.

*Quod hec tria in se ipsis sunt.*

*Ex eodem  
li. 8. ca. 5.*

**S**VNT etiam hęc singula in se ipsis: quia & mens amans in amore est, & amor in amantis notitia, & notitia in mente noscente est. Ecce in his tribus qualecunque vestigium Trinitatis apparet,

*Quomodo mens per ista proficit ad intelligendum Deum.*

*Ex c. 12. li. 9.  
de trin.  
Aug.*

**M**ENS itaq; rationalis considerans hęc tria, & illam unam essentiam in qua ista sunt, extendit se ad contemplationem creatoris: & videt unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate. Intelligit enim unum Deum esse, unam essentiam, unum principium. Intelligit enim, quia si duo essent, vel uterque insufficiens esset, vel aliter superflueret: quia si aliquid deesset uni quod haberet alter, non esset ibi summa perfectio. Si vero nihil uni deesset quod haberet alter, cum in uno essent omnia alter superflueret. Intellexit ergo unum esse Deum omnium auctorem: & vidit quia absque sapientia non fit, quasi res fatua, & ideo intellexit eum habere sapientiam, quae ab ipso genita est: & quia sapientiam suam diligit, intellexit etiam ibi esse amorem.

*Hic de summa Trinitatis unitate.*

*Aug. li. 9.  
Cap. 1.*

**Q**VAPROPTER iuxta ipsam considerationem, ut ait Aug. in IX. lib. de Trinitate. credamus patrem, & filium & spiritum sanctum unum esse Deum, uniuersae creaturae conditorem & rectorem, nec patrem esse filium, nec spiritum sanctum vel patrem esse, vel filium, sed Trinitatem relatarum ad inuicem perso-

personarū. Vt enim ait ipse in libro de fide ad Pe-  
 trū. Vna est natura siue essentia patris & filii & spi-  
 ritus sancti, non vna persona. Si enim sic esset vna  
 persona, sicut est vna substantia patris & filii & spi-  
 ritus sancti, veraciter Trinitas nō diceretur. Rur-  
 sus quidē Trinitas esset vera, sed vnus Deus Trini-  
 tas ipsa non esset, si quemadmodum pater & filius  
 & spiritus sanctus personarū sunt ab inuicē pro-  
 prietate distincti, sic fuissent quoq; naturarum di-  
 uersitate discreti. Fides autē Patriarcharum, Pro-  
 phetarum, atq; Apostolorum vnum Deum prædi-  
 cat Trinitatem esse. In illa ergo sancta Trinitate  
 vn<sup>o</sup> est Deus pater, qui solus essentialiter de seipso  
 filium vnum genuit: & vnus fili<sup>o</sup> est, qui de vno pa-  
 tre solus essentialiter natus: & vnus spiritus san-  
 ctus, qui solus essentialiter à Patre filioque pro-  
 cedit.

Hoc autem totum non potest vna persona, id  
 est, gignere se, & nasci de se, & procedere de se, vt  
 enim ait August. in lib. i. de Trin. Nulla res est, quæ  
 seipsam gignat, vt sit.

HIC QUÆRITUR VTRVM CONCEDEN-  
 DVM SIT QVOD DEVS  
*se genuerit.*

## DISTINCT. IV.

A

HIC oritur questio satis necessaria. Constat e-  
 nim, & irrefragabiliter verum est, quod Deus  
 pater genuit filium. Ideo quæritur, vtrum conce-  
 dendum sit, quod Deus genuit Deum. Si enim Deus  
 genuit Deum, videtur, quod aut se Deum, aut a-  
 lium Deum genuerit. Si vero alium Deum genuit,  
 non est tantum vnus Deus. Si autē seipsum Deum  
 genuit, aliqua res seipsā genuit. Ad quod respon-  
 dētes dicimus, sanè & catholicè cōcedi, q̄ vn<sup>o</sup> vnū  
 genuit, & quod Deus Deum genuit: quia De<sup>o</sup> pater  
 Deum

*De compa-  
 ratione ge-  
 nerationis  
 ad terminū  
 essentialem  
 con retum,  
 qualis est  
 hoc nomen  
 Deus.  
 Solutio.*